

suo sancto voluit congregari, vt per gratiam prvdencie et facundie vobis date scisura scismatis consuere ad vnitatem et ecclesia Dei ad pacem de variis laboribus respiraret; Petri quidem nauicula diutissime tempestuosis fluctibus estuauit, cumque mirabiles essent elaciones maris, mirabilior in altis Dominus statuit procellam in auram, effusa enim contencione super principes cum errarent in inuio et non in via, humiliavit eos, qui est ante secula, per vestrum sacrum collegium, ac magnam multitudinem se aduersus Dei scienciam extollentem, et nunc veraciter cognouimus manus vestras in digito Dei, qui erigit et deicit pro suo arbitrio potestates, preualuisse tamen contra fautores dissensionis scismatice et auctores, vt non sit diffidendum, quin cicius corruant et succumbant nauisque Petri de procellosi maris angustiis sic erepta consequenter sub vnico gubernatore in segura collocetur litoris stacione; demum vt creditur vestra sacra congregacio, de suis hostibus gloriosior triumphatrix, deuia queque reprobet et approbet vias rectas specialiter illas, quas diuina pietas per se instituens pro direccione omnium aliarum cum celesti curia approbavit. Idcirco nostra desideria cum fiducia vestre porrigimus sanctitati in humilitatis spiritu instancius deprecantes, quatenus constitutiones regulares sanctissime patrone nostre beate Birgitte diuinitus reuelatas inter alias religiosas normas habere velitis computatas et ab ecclesia militante sub nomine regule firmiter approbatas, quas triumphans ecclesia pie creditur approbasse, nam huius religionis forma in monasterio Watzstenensi primitus instituta tanta et talia pretendit deuocionis insignia et preludia sanctitatis vt solius dextere excelsi opus esse claris presumitur argumentis et signis perspicuis comprobatur; ardenciore igitur zelo ad promouenda commoda illius ordinis nostra suspirat intencio tantoque deuocioribus faucibus approbacionem illius regule esurimus, quanto firmiter credimus in eius confirmacione consistere huius regni Swecie tam temporalis quam spiritualis reformacionis saluberrima fundamenta, nam sicut dicta mater Birgitta, dum viueret in terris, ipsius regni miserie prenunciatrix extitit verax et fidelis, ita per hoc nunc apud Christum in celis sublimiter accepta erit, vt confidimus, diuine propiciacionis fauorabilis interuentrix.

Öferskrift: Tenor litere misse cardinalibus et concilio generali per episcopos regni Swecie.

2224.

1416 d. 27 April.

Konstanz.

Mötet i Konstanz till biskoparne i Oslo, Åbo och Vexjö, med uppdrag att efterforska huruvida biskoparne Nils i Linköping och Brynolf i Skara samt Skeninge-nunnan Ingrid genom sin lefnad och underverk gjort sig värdiga att kanoniseras.

Script. rer. Suecic. III, 2, 139—141.

Sacrosancta et generalis sinodus Constanciensis venerabilibus fratribus Asloensi, Aboensi et Wexionensi episcopis salutem et Dei omnipotentis benedictionem. Felix prorsus et ineffabilis sanctorum gloria, potestas inauferebilis, immarcessibilis pulcritudo et beatitudo perhennis, non delebitur memoria eorum de libro vite sed apud omnes generationes nomen eorum perseuerabit in gloria, reuerebitur et celebrabitur omne per eum. Unde licet militans in terris ecclesia triumphantem in celestibus

ecclesiam filiali et deuoto veneretur affectu, virtutes sanctorum, laudes et premia quantum sinit humana fragilitas dignissimis commendat et attollat preconiorum titulis et cum deuotissimis precibus et ritu solenni vota, oblationes et sacrificia laudis offerat ad decus et venerationem ciuium supernorum, nichil tamen per nostras laudes vel per sacrificia aut oblationes illis accrescit noue perfectionis aut glorie, nec eorum plena et perfecta felicitas nostris operibus vel obsequioso famulatu minui potest vel augeri, cum per se sufficiens et immutabilis sit status eorum omnique bonorum aggregatione perfectus; sed misericors et miserator Dominus per merita et intercessionem sanctorum, quos celebri deuotione veneramus in terris sua mirabili et clementissima dignatione nostrum imperfectum supplere prouidit, vt, quod operibus nostris non valemus, eorum suffragantibus meritis assequamur. Quia enim crebrentibus miraculorum virtutibus nobis per successus temporum varie fiant dispensatione diuina reuelationes sanctorum, vt in celebri memoria cum summa veneratione perpetuis temporibus habeantur a nobis, non ad eorum sed nostram profecto cedit vtilitatem et salutem, vt dum gesta preclara et virtutes eorum recolimus patrocinia sentiamus, vt preterea dum refriguerit caritas multorum et superabundauerit malicia minusque digni fuerimus Deum precibus alloqui et in conspectu eius comparere, sanctos habebimus mediatores propicios, quorum meritis placari valeat Altissimus et desideratam nobis sue propiciationis abundantiam tot multiplicatis intercessoribus dignissimis largiri dignetur. Quapropter ad imitationem et exemplar sanctorum patrum, qui pro salute degentium adhuc in terris digne venerationi et legitime canonizationi sanctorum dudum summis et deuotissimis studiis operam dedisse leguntur, nos, qui pro vnione sancte matris ecclesie procuranda promovendisque omnibus, que prosperitatem religionis christiane et communem omnium mortalium vtilitatem et salutem concernere possent et augere, speciali vt credimus prouidentia Dei et in suo nomine congregati sumus in vnum, omnipotenti Deo gratissimum et toti ecclesie saluberrimum esse censemus, vt inter cetera, que pro communi salute fidelium excogitare et quantum nobis datur exalto promouere conamur, illis eciam vigilanter intendamus religiosissimis operibus, quibus legitime canonizationes sanctorum, vt ipsi sint in omni cognitione et veneratione solenni, deuotionem plebis augere, beniuolentiam et gratiam promereri sanctorum et per ipsos diuinam clementiam nobis mercari possimus, et hiis presertim diebus necessitatis et tribulationis ecclesie, quibus proh dolor! Deus omnia sub peccato conclusisse et totus orbis in maligno positus esse videtur, omnisque caro, nec iam caro, sed omnis anima corrupisse viam suam, intentionem suam et operationem, vt cum ad manifestandum populis gloriam sanctorum suorum ac dignitatem sublimem antiqua prodigiorum suorum signa et virtutes miraculorum innouerit Altissimus, corda simul et mentes innouet fidelium, mundet ab omni peccati contagione et virtutum gratiarumque donis adornet, nec deinceps patiat ecclesiam proprio et martirum sanguine consecratam beatorumque confessorum et virginum edificatam meritis, tantis scismatum et errorum periculis subiacere et tot vbique fedari spurciciis et abominationibus viciorum. Cur igitur pro parte carissimi ecclesie filii Erici, Swecie, Dacie et Norwegie regis illustris, ac venerabilium fratrum Upsalensis, Lundensis et Nidrosiensis archiepiscoporum nec non suffraganeorum episcoporum prouincie Upsalensis ac quorundam capitulorum et conventuum, ecclesiarum et monasteriorum, necnon procerum et nobilium ac com-

munitatum quarundam civitatum regni Swevie iuxta seriem quarundam literarum per regem et archiepiscopos, episcopos, capitula, conuentus, nobiles, communitates huiusmodi Baldassaro, tunc Johanni pape vicesimo tercio, ante eius depositionem a papatu suis exigentibus demeritis per nos rite factam, super hoc specialiter directarum coram nobis post depositionem eandem, cum ipse litere dicto Baldassaro, dum adhuc preesset papatui, non fuissent presentate, sit expositum, quod celebris et recolende memorie Nicolaus Lincopensis, Brynolphus Scarensis episcopi ac Ingeridis monialis monasterii monialium Skeningensis, ordinis sancti Augustini, sub cura et secundum instituta fratrum predicatorum viuentium Lyncopensis dyocesis, dum in hujus erumnose peregrinationis exilio mortali vita potirentur, non humanis fauoribus obsequi sed puro corde sinceraque mente diuinis oculis complacere studuerunt et per austeritatem iugis penitentie corporum artus suo spiritui seruire cogentes lubrica carnis contempserunt illecebras, declinauerunt a voluptatibus, pudicicie coniuncti sunt et sprete fugaci fallacique gloria mundi per deuote orationis exercitium et laudabilia virtutum opera, supremo iudici Deo famulatum impendere ac sibi ipsis et aliis ad eterne vite merita proficere conati sunt indefesse verbis pariter et exemplis, non quesierunt opibus sed spiritualibus gratiis et bonis moribus abundare, quibus re et conuersatione se pios, prudentes, humiles, sobrios et castos, erga Deum summa veneratione deuotos, erga vero pauperes et loca pia caritate non ficta largifluos, constantes in fide, sacra spe plenos et aliis virtutibus claros esse probauerunt, propter quod mirabilis Deus in sanctis et faciens mirabilia magna solus per gloriosa eorundem Nicolai, Brynolphi et Ingeridis merita, tam ipsis in humanis agentibus, quam eciam post eorum felicem transitum ab hac luce in variis locis Swevie diuersisque temporibus plura miracula dignatus fuerat operari, honorans illos in terris, quos ut pie creditur coronauit in excelsis. Quamobrem pro parte regis et aliorum sic exponentium predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, vt aliquibus ex sancte Romane ecclesie cardinalibus et aliis prelatibus in hoc sacro generali Constantiensi concilio existentibus, quod se de vita et meritis prefatorum Nicolai, Brynolphi et Ingeridis ac huiusmodi miraculis informarent et ea, que per huiusmodi reperirent informationem, nobis referre curarent, vt deinde sufficientibus et exquisitis meritis ad hoc suffragantibus ipsi Nicolaus, Brynolphus et Ingeridis aliorum sanctorum catalogo adscribi et aggregari possent, conuenienter¹⁾ dignaremur. Nos ad eorundem regis et aliorum exponentium et supplicantium deuotam instantiam dilectissimis ecclesie filiis Petro tituli sancti Crisogoni alias dicto Cameracensi, presbitero, et Oddoni sancti Georgii ad Velumaureum dyacono, eiusdem Romane ecclesie cardinalibus, ac venerabili fratri Jacobo, episcopo Nandensi²⁾ necnon dilectis ecclesie filiis Johanni de Gersona, cancellario ecclesie Parisiensis, Lamberto de Gelria, Petro de Pulcha, Wilhelmo Clinth et Johanni Blotwelle, in sacra theologia professoribus, in dicto concilio presentibus, viue vocis oraculo commisimus vt literis autenticis necnon libellis et instrumentis publicis per regem et alios exponentes predictos super hoc destinatis per eos visis et examinatis, super hiis omnibus se diligenter informarent et ea, que per eandem informationem reperirent, nobis fideliter referre curarent. Qui quidem commissarii procuratoribus regis et aliorum exponentium prefatorum negocium huiusmodi per-

¹⁾ Committere, enlgt J. M. Mansi »Concilia», tom. XXVII.

²⁾ Mansi »Concilia»: Laudensi.

sequentibus eisdem litteris, libellis et instrumentis publicis per eos diligenter visis et examinatis, nobisque per ea, que exinde reppererant, apparebat de vita et meritis necnon de fama et deuotione populi et miraculis huiusmodi, tam in vita quam post mortem eorundem Nicolai, Brynolphi et Ingeridis, que ipse Deus ad ipsorum preces, vt credebatur, operatus fuerat et indies operabatur, serius retulerunt. Nos igitur attendentes quod de fama premissorum et deuotione populi necnon de vita et meritis dictorum Nicolai, Brynolphi et Ingeridis ac miraculis supradictis per huiusmodi informationem receptam plene liquere non potest, ac eciam considerantes quod ecclesie militanti difficillimum redditur agnoscere spiritum glorificandum in ecclesia triumphanti et quod propterea expediens videtur in talibus ea grauitate procedi, qua ipsa non decipiatur ecclesia militans et virtutum mater iusticia non ledatur, sed in re tanta cum abundantiori cautela et maiori maturitate procedatur. Quapropter, cum pro parte regis et aliorum exponentium prefatorum nobis cum omni instantia ac debita reuerentia fuerit supplicatum, vt cum ipsis premissa probandi incumbat necessitas et testes ad presens in humanis agentes, per quorum depositiones probationes ipse vt sufficienter fieri posse sperantur, seu eorum aliqui, si, quid absit, huiusmodi negocii executionem nimium contingat protelari, interim de medio possint summoueri, in negocio ipso absque more dispendio ad vltiora procedere dignemur; nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati vestre, de qua in hiis et in aliis gerimus in Domino fiduciam specialem, per nostra scripta committimus et mandamus, quatinus ad loca, in quibus prefati Nicolaus, Brynolphus et Ingeridis fuerint, dum in mundanis agerent, conuersati, et in illa vbi eorum corpora requiescunt, personaliter accedentes de fama premissorum ac deuotione populi vitaeque et meritis antedictis ac miraculorum huiusmodi crebrescentia veritateque et eorum circumstantiis vniversis iuxta datam a Deo vobis prudentiam, a testibus omni, quantum humana sinit fragilitas, exceptione maioribus, exacte, diligenter, fideliter, prudenter, secundum articulos et interrogatoria, que sub bulla nostra vobis mittimus interclusa, inquiratis propensius veritatem, super quibus omnibus et singulis premissis vestras conscientias oneramus, testesque huiusmodi qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere, non obstantibus tam felicitis recordationis Bonifacii pape octaui ac de vna et duabus dietis in concilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscumque, seu si aliquibus commvniter vel diuisim a sede apostolica sit indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad iudicium euocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Quidquid autem per inquisitionem huiusmodi inueneritis in premissis, nobis aut futuro summo pontifici per vestras patentes litteras eorum seriem continentes manibus plurim[or]um tabellionum bone fame conscriptas vestrisque sigillis munitas quantocius intimare fideliter curetis, vt huiusmodi vestra intimatione instructi, vel idem summus pontifex instructus in premissis consultius procedere valeamus vel futurus pontifex valeat antedictus ad Dei et sanctorum eius gloriam, edificationem ecclesie et animarum salutem. Datum Constancie v kalendas Maji, anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo sextodecimo, apostolica sede vacante.

Ego Nicolaus, episcopus Spoletanus, presidens Ytalice nationis.
Ego Bertrandus, episcopus sancti Flori, presidens Gallicane nationis.
Johannes Langhe. B. de Perusio.

2225. 1416 d. 1 Maj. Vadstena kloster.

Munkkonventet i Vadstena utfärdar intyg om att en inbyggare i Åbo stift såsom pilgrim besökt klostret.

Afskr. i Codex 6 (Benz.) i Upsala Univ:s bibl., fol. 6.

Nos fratres conuentuales monasterii sanctarum Marie virginis et Birgitte in Watzsteno recognoscimus publice per presentes nos vidisse latorem presencium M., laycum de parochia N. Aboensis dyocesis, in specie et habitu veri peregrini nostram ecclesiam hodie visitantem ob suorum remissionem peccatorum et deuocionis sue insignia et vere penitencie indicia deuotissime pretendentem. In cuius recognitionis euidentiam firmiorem sigillum nostrum presentibus est impressum. Datum monasterio nostro supradicto, anno Domini mcdxvj, ipso die apostolorum Philippi et Jacobi.

2226. 1416 d. 3 Maj.

Magnus Nilsson säljer till Karl Nilsson Bäckaryd i Hamneda socken och Viggsjö i Agunnaryds socken.

Orig. på perg. i Sv. Riksark.

Allæ mæn thetta breff høra eller se helsar jak Magnus Nielson ewinneleka meth Gudh, och kænнис meth thetta mit opna breff at hawa salt bøkethen man och ærligh Karl Nielson ij gordha, een gordh i Haffnatha sokn, som heder Bækkæryt, och een gordh i Agwnnarythzs sokn, som heder Wixøya, for v march och lx gildæ penya och gænge, som i Sweriche gaar, meth swadant skæl ath jach tilbinder mich och mina arwinge hannom och hans arwæ at frii och hemb læ for mich ællar mina arwingæ och hwars manzs tiltaal meth allæ the for:de gordhes tilliggilse, wat och thiwrt, ager och æng, skogh och march, fiskæwatn och hwat thet helst kan ware thær til lighad hawer aff alder, hwilkit for:de gothzs Ærlend Stwd haffdhe wthsat for viij løthw march, och kænнис mich at hawa wppbarith xx march for thet fornæffndæ gothzs aff Karl Nielson, ok fri jak fornemda Karl Nielsson, hanwm æller hans arwinge til ewærdheleka aghæ, til the fornæffndæ viij løthw march. Til mere wissæ och bæthre forwaring ath swa ær sant som screwith ær, tha henger jach mit insigle for thetta breff meth andra gotha mænzs insigle, som ær Anwnd Hemmingsons, Olaff Iensons och Thord Æbbasons. Datum anno Domini m^ocd^oxvj^o, dominica secunda proxima post festum pasce.

Sigillen: N. 1. Se N. 1926,2; N. 2. Se N. 1588,3; N. 3. Sparre(?) med otydlig omskrift; N. 4. Framdelen af en bock, med omskr.: s. OLAVI JENISS'.